

S. G. B. T. B.

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



DISPUTATIO SEPTIMA
In Augustanam Confessionem

continens

ANTIOESEIN ARTICULI III.

De

COMMUNICA-
CATIONE IDIOMATUM
in Genere,

Proposita

In Electorali Academiâ wittebergensi,

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

Doctore & Professore Publ.

RESPONDENTE

JOHANNE AMMONIO, Detiddensi

Brunsvigio Saxone.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris
ad diem 26. Octobr.*

WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M DC XXVIII.



ALLEGORIE SUR LA
MISSION DE JESUITS EN CHINE

A C T A M I U M A N O R O E D I T A O

Amensade givit omnia a' meo' selde

• M. T. C. S. D. I. T. F. G. M. C. P. A. I.

REUBEN C. GARDNER & COMPANY

СЛОВО ПРИЧИНЕНИЯ

MISSOURI STATE UNIVERSITY LIBRARIES

• 1950 34 38A 5

卷之五

иных съмъни





Continuatio.

Unomodo Jesuitæ de Unione hypostatica duarum naturarum in CHRISTO disputatione, quibusq; absurdis & contradictionibus sese implicent, præcedente disputatione vidimus; consequens est, eorundem falsam opinionem de Communicatione Idiomatum ac Majestatis divinæ, quomodo illam cum Calvinianis negent, nosque nescio cuius absurdii ac impii erroris & ab Augustana Confessione defectionis insimulent, cognoscamus & examinemus.

THEISIS I.

IN lucem ruper emiserunt quidam Jesuitæ mandatum Religionis, sub nomine cujusdam Silesiæ Principis per totum ipsius Ducatum 19. Decembris, anno Christi 1601. promulgatum: quo disputationes de sacra Domini cœna, de Persona Christi, communicatione Idiomatum, ubiquitate, ut loquuntur, generali ac speciali, tanquam præteritis temporibus inauditâ & de qua nullum reperiatur verbum, nulla fiat mentio in Augustana Confessione, multis damnantur, rejiciuntur, proscribuntur.

II. Mandato huic subjecerunt & addiderunt Jesuitæ isti brevem commonefactionem, Germanicè conscriptam. Qua primùm sciendum esse monent, Principem, sub cuius nomine mandatum istud publicatum, nequaquam Calvinianum, sed *ynior* Lutheranum fuisse, qui Augustanam Confessionem approbaverit, & pro symbolo suarum Ecclesiarū, sed in primo ac vero sensu, agnoverit, ut illa Imperatori Carolo V. Anno 1530. Augustæ exhibita, & in Lutheranis Ecclesiis semper retenta & explicata fuit. *Quod sanè (addunt Jesuitæ) nulli faciunt Calviniani.*

III. Secundo (pergunt Lojolitæ) ex hoc Religionis mandato firmiter demonstratur & irrefragabilitet evincitur, Lutheranos in suis Ecclesiis dudum de principalibus Religionis capitibus certamina movisse, & in diversas opiniones & sectas abiisse, se mutuo damnasse, sicque satis ostendisse, Lutheranam Ecclesiam nihil minus, quam veram Ecclesiam esse.

IV. Tertio monent, juxta Confessionem hujus pure Lutherani Principis, non omnes in rei veritate Augustanæ Confessioni esse addictos, qui pleno ore se ejus socios jactitant, & cum primis procul ab ea secessisse, qui Formulae Concordiae subscripserunt & ubiquitatem asseruerunt.

V. Et hoc probè notandum. esse quarto loco monent, quod à primo Augustanæ Confessionis exordio, usque ad annum 1555. quo Pax religionis confirmata & publicata est, inter Lutheranos & Romanos-Catholicos de Omnipræsentia nihil quicquam motum aut pugnatum fuerit.

VI. Sed salva res est, Princeps ille, quem in scenam producunt Lojolitæ, fueritne Lutheranus, an Calvinianus, nostri instituti non est, inquirere vel dijudicare; id nihilominus certum esse scimus, Bonum illum Principem multis CryptoCalvinianis circumseptum, mandatiq; illius concinnatorem, & promulgationis autorem instigatoremque nihil minus quam Lutheranum, sed purum putum Calvinianum fuisse, & sub Illustrissimo Boni Principis nomine speciosaque Augustanæ Confessionis hæderâ suas nugas vendidisse.

VII. Deinde nova esse illa & antehac inaudita, quæ in Formula Concordiae de Communicatione Idiomatum ac Majestatis divinæ cum humana natura, & similibus proponuntur: ac propterea Formulae Concordiae subscriptores, assertores ac defensores ab Augustana Confessione descivisse, proindeque privilegio Passaviensi sua sponte se privasse & pace religionis se ipsos exclusisse, iniquissima falsissimaq; ac calumniis referta est accusatio, uti illud non tantum ex libris & publicis scriptis Lutheri, sed ipsorum Lojolitarum confessione est certum & manifestum.

VIII. Sa-

VIII. Sancte Bellarminus ex professo refutat hos Jesuitas
unum cum principali mandato, quod allegant & fundamenti loco
supponunt: cum primis vero, quando illo & ex illo fingunt,
doctrinam de communicatione Idiomatum & Majestatis po-
testatisq; divinae omnia omnipresenter & omnipotenter gu-
bernandi, non esse Lutheri, sed noviter ab autoribus Formulae
Concordiae confictum dogma & Ecclesiae privato ausu ob-
trusum.

IX. His, inquam, in os contradicit Bellarminus, do-
ctrinæ hujus autorem ipsum Lutherum asserendo & defen-
dendo Lib. 3. de Christo, & quidem in specie de Incarnatione
cap. i. Ubi sic scribit: *Ad secundum genus pertinent hoc tempore*
ferè omnes Lutherani, qui duo docent: 1. dicunt, Christi carnem ha-
bere attributa divinitatis, ac præcipue omnipresentiam. 2. docent hy-
postaticam unionem consistere in istâ communicatione attributorum
divinorum ipsi carni & humanitati. Et post pauca: LUTHERUS,
et si ubiq; jactet, se credere in Christo unam personam & duas natu-
ras; tamen doctrina ejus aliud habet. Nam in sermone de Sacra-
mento Cœna Dom. Tom. 2. operum ejus fol. 112. Credimus, inquit,
quod Jesus Christus sit juxta humanitatem super omnes creaturas col-
locatus, & omnia impleat. Et mox: Et habeat omnia in sua manu,
& sit ubiq; præsens. Item in libro quod verba Christi: Hoc est cor-
pus meum, adhuc firma constent, prolixè docet dextram D'ei esse
ubiique. Item in libro, qui inscribitur Confessio Martini Lutheri
de cœna Domini, dicit, se probare evidenter, Christi corpus esse reali-
ter præsens in cœna, quia est ubiq;: Esse autem ubique dicit se proba-
re, quia est in dextra Dei, quæ est ubiq;. Et ibidem ponit tres mo-
dos essendi in loco. Primum localiter, id est circumscriptivè, &
hoc modo non vult, Christi carnem esse ubiq;. Secundum spiritualiter,
scilicet per penetrationem, & hoc dicit convenire corpori gloriose, sed negat
hoc modo ponit Christi carnem ubiq;. Tertium cœlestem & divinum
per unionem hypostaticam, & hoc modo tribuit carni Christi ubiqui-
tatem, & ait: Necesse habes Christi carnem, quæ est cum Deo una
persona, longissime extra creaturas collocare, adeo tam longe, quam
Deus ipse extra creaturas est &c. Et rursus post pauca: JOHANNES

BRENTIUS adeò locupletavit hanc doctrinam, ut paretur autor
ubiquitatis, CUM TAMEN VERE NON SIT, SED
LUTHERUM SEQUATUR.

X. Certum itaque est, doctrinam de Communicatione
Idiomatum, & omnipresentia carnis Christi, confidente & de-
monstrante, modernosque Jesuitas, qui illum novum Formu-
la Concordiae figmentum calumniantur, manifesti ac palpali-
mendacii convincente, ipsius Lutheri doctrinam esse, annis
aliquot ante & post conscriptam & exhibitam Augustanam
Confessionem, publicè divulgatam ab ipso, & usque ad extre-
num vitæ halitum constantissimè defensam. Nam sermonem
de Sacramento cœnæ Domini anno Christi XXVI. & sic qua-
driennio ; Librum, quod verba Christi adhuc firmiter con-
stent, anno XXVII. sicq; triennio ; Confessionem Majorem
anno XXVIII. & ita biennio ante conscriptam & exhibitam
Augustanam Confessionem, edidit. Legatur tota illa Confes-
sio tom. 3. Jenensi Germanico, & apparebit, omnia, quæ in For-
mula Concordiae de omnipresentia docentur, ex illa esse de-
prompta.

XI. Lutherum verò in sententia ac doctrina, in confessio-
ne illa sua, proposita, constantissimè perseverasse illustrissi-
mum extat testimonium Tom. 6. Jenensi scripto, cuius titu-
lus est: Schöner herrlicher Brieff D. M. Luthers von seinem Buch
der Winckelmeisen an einen guten Freunde anno 1534. aufgängen/
& sic quadriennio post exhibitam Confessionem Augustanam,
& toto sexennio post confessionem illam Majorem editam.
Quandoquidem in eo diserte asserit, se etiamnum probare
confessionem suam Majorem (Minor enim tum temporis non-
dum erat edita) & omnia, qnæ in ea scripserit de verbo ad ver-
bum. Sic enim legitur ibi : Si autem non sunt Papistæ, sed alii
boni viri, qui forte libellum meum non legunt, sed ex aliis audiunt,
quod velim fieri Sacramentarius : tametsi forte nego bac Epistola ju-
vabuntur, si eam non legerint : tamen in vestri gratiam libenter meam
sententiam & confessionem publicè in lucem denuo emittam. Et qui-
dem extant complures mei libri, in primis CONFESSIO MEA
contra



contra SUERMEROS, quæ mihi coram Deo & mundo satis vali-
dum testimonium perhibet. Et ex abundanti EAM IPSAM
CONFESSIÖNEM HAC EPISTOLA RENOVA-
TAM, REPETITAM ET CONFIRMATAM VOLO,
PLANE SICUT TYPIS EXCU SA ET EVULGATA
EXTAT DE VERBO AD VERBUM, IN QUA PER
DEI AUXILIUM ETIAM MORIAR, ET HINC
DECEDAM AD DOMINUM MEUM. Sicut etiam
in hac Confessione ac fide nunc vivo, & omnia fero ac tolero, quæ cer-
tè & multa & magna sunt. **NEQUE AB EA ME (PER DEI**
GRATIAM) VEL PORTÆ INFERORUM ABSTRAHERE
POTERUNT.

XII. Sic expressè agit Lutherus de communicatione Idiomatum Tom. 7. Jenens. in libro de Conciliis sub titulo, de Conciilio Ephesino. Et Doctor Egidius Hunnius p. m. in libello suo de Persona Christi sub tit. Sententia Divi Lutheri, ex multis locis ac libris Lutheri demonstrat, ipsius sententiam de Communicatione Idiomatum plane illam ipsam esse, quam hodie in nostris Ecclesiis & Formula Concordiae defendimus, ad quam lectorum remittimus.

XIII. Johannes Brentius Lutherum secutus, contra Sacramentarios pugnans, ursit in primis doctrinam Lutheri de Majestate humanæ naturæ in Christo: Cum enim huic à Sacramentariis non nisi creata dona relinqui cerneret; videret autem ei in sacris divina quædam tribui; item data esse & accepta divina, quæ Divinitati non competenter, pro hujus naturæ communicatâ majestate, Lutheri vestigia alacriter pre-
mens, fortiter pugnavit.

XIV. Ut autem doctrina hæc publicis scriptis ante exhibitam Augstanam Confessionem in Lutherana Ecclesia fuit proposita; sic etiam postea in Articulo hoc tertio Augustanæ Confessionis comprehensa est & expressa his verbis. *Docent 1. quod verbum, hoc est, filius Dei assumserit humanam naturam in ute-
ro Beatæ Mariæ virginis, ut sint duæ Naturæ, divina & humana, in
unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, verè Deus,
& verè homo. 2. Idem descendit ad inferos, & verè resurrexit ter-*

tiis



ia die: Deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis.

XV. Quomodo vero 1. Unio illa, 2. Sessio ad dextram Patris à Luthero & cæteris Lutheri discipulis, omnibusque ordinibus, Lutherum secutis, fuerit intellecta & explicata, non ex cerebro Jesuitarum, de quibus tunc nemo ne yœ vel unq; quidem audiverat, petendum, sed ex ipsa confessione & scriptis Lutheri & Lutheranorum accipiendum. Quod quando sit, tum res ipsa in confessione nostra loquetur, quod unio personalis non tantum inter personalitatem sive substantiam & humanam naturam, ut fingunt Jesuitæ, sed inter divinitatem & humanitatem sic facta, quæ verò sine novarivis naturarum, & consequenter divinorum Idiomatum fieri non potuit.

XVI. Eodem modo se satis explicat ipsa confessio, quomodo sessionem ad dextram Dei intellectum velit: nimirum quod Christus quidem, & sic tota persona, consedeat ad dextram Dei, sed secundum humanam naturam. Quandoquidem ut ascensio in cœlos, sic sessio ad dextram Dei, accipienda est: At Christus secundum humanam naturam ascendit in cœlos: Ergo etiam secundum eandem sedet ad dextram Dei, perpetuò regnat & dominatur omnibus creaturis. Atque hæc est illa omnipræsentia, sive ubiquitas (ut injuriosè loquuntur Jesuitæ cum Calvinianis) quam defendit Lutherus contra Cingulum & Sacramentarios, illiusque fundamentum constituit unionem hypostaticam & sessionem ad dextram Dei: uti postmodum idem fecit Brentius & alii, eodem modo hanc doctrinam post mortem Lutheri sine ullius adversarii contradictione retinuerunt, defenderunt, & suis scriptis propagarunt.

XVII. Quare consentimus & statuimus cunum Jesuitis, in Germanica sua commonefactione monentibus, probè notandum esse, quod à primo Augustana Confessionis ortu usque ad annum 1555. quo Pax Religionis confirmata & promulgata est, inter Lutheranos & Romanos Catholicos nihil quicquam de omnipræsentia motum aut pugnatum fuerit. Quid? quod non tantum usque ad annum 1555: sed omnino usq; ad annum 1562. à Pontificiis de hac doctrina nulla Lutheranis dica scripta sit,

XVII



XVIII. De Concordia hujus causa commonefactores Jesuitæ sic philosophantur (adscribam formalia ipsorum verba) Noch ferner ist noch wol zu bedencken/ daß von Anfang der Augspurgischen Confession bis Anno 1555. (in welchem Jahr der Religions Friede publicirt) zwischen den Luthernern und Römisch Catholischen / wegen der Allenthalbenheit niemals kein einige Streitigkeit sich begeben / sondern sind allwege beyde Partien dieser Puncten halber einig vnd vnzutrennen gewesen/wie solches ebenfals gar wol in diesem Schlesingischen Religions Mandat vermercket wird. Weil den Weltkündig / daß die Catholische Kirche niemals die Lehr/ von der Allenthalbenheit der Menschheit Christi gebilligte/ oder approbiret, so folget vniwieder sprechlich / daß etliche Lutherner solche Lehr erst nach übergebung Augspurgischer Confession vnd publicirung Religion Frieden im Römischen Reich auf die Füsse gebracht / vnd dadurch von der Augspurgischen Confession einen mercklichen absprung genommen.

XIX. Primum ergo ut rem confessam acceptamus, nullam unquam motam fuisse inter Lutheranos & Pontificios de omnipräsentia controversiam ab anno 30. exhibita Augustanæ Confessionis, usq; ad annum 1555. pacis Religionis publicatae. Deinde acceptamus & alterum, magnum inter utrosq; toto isto tempore super hac doctrinæ parte consensum fuisse.

XX. Quod vero statim subjiciunt commonefactores Jesuitæ, notorium fuisse toti mundo, Catholitos Romanos nunquam doctrinam de omnipräsentia, à Luthero & Luthernis defensam, approbasse, eo ipso sibi Lojolitæ isti turpiter contradicunt. Nam certum est non tantum Lutherum, sed Brentium quoq; & alios, numero non paucos, doctrinam hanc tam ante quam post exhibitam Augustanam Confessionem publicis scriptis in Ecclesiis Lutheranis proposuisse, contra Sacramentarios magno zelo defendisse, imò ipsi Augustanæ Confessioni doctrinæ hujus fundamenta inseruisse, ut hactenus demonstratum, & Bellarminus inficiari nequit.

XXI. Qui de Johanne Brentio lib. 3. de Incarnat. cap. 1. anteallegato ita scribit: *Johannes Brentius adeo locupletavit hanc doctrinam (de omnipräsentia) ut putetur autor ubiquitatis, cum tamen*

B

vere

verè non sit, sed Lutherum sequatur. Primum igitur in *Apologia pro confessione Virtenbergensi* in tractatu de cœna Domini ex professo tradit, Christi carnem esse ubiq; ratione unionis hypostaticæ: Et in libro de duabus naturis Christi & ascensione & sessione à dextris idem asserit & probat multipliciter, cujus argumenta postea solvemus. Ibidem asserit Christi corpus etiam ante passionem fuisse in cœlo invisibiliter, & nunc quoq; non esse in aliquo certo loco, sed ubiq;. Deinde in alio libro de Majestate Christi hominis in hoc ponit unionem hypostaticam, quod Filius Dei in Filium Mariæ effuderit omnia dona & proprietates suas. Hactenus Bellarminus.

XXII. Jam verò Brentius docere cepit circa annum Christi 1520. & integros quinquaginta annos ministerio Ecclesiastico maxima cum laude & utilitate præfuit, tandem senio confectus & laboribus exhaustus in vera Christi invocatione ac fiducia in eundem redemptorem suum placidè obdormivit anno 1570. cum septuagesimum primum ætatis annum attigisset: In quanta autem existimatione hic vir fuerit in Ecclesia Christiana, partim acta Confessionis Augustanae, partim historia Johannis Sleidani, partim insignis Lutheri epistola, ad ipsum durantibus adhuc Comitiis perscripta, partim ipsius fabuberrima scripta, didactica simul ac polemica adversus Pontificorum errores, & contra Sacramentariorum, Cinglianorum & Calvinistarum deliramenta, edita, aliiq; pro Evangelio tolerati labores & pericula, proindeque in universam Ecclesiam promerita, luculentissimè testantur.

XXIII. Qui etiam cum Philippus Septemdecim articulos (quos Lutherus scripto amplexus fuerat, priusquam Wittebergā Coburgum abiret, ut ex Tomo quinto Jenensi patet) in formam Confessionis redigeret, ipsum fideliter juvit, ut non tantum ipse ad amicos, sed etiam Domin⁹ Philippus in Colloquio Wormatiensi, audientibus omnibus, etiam Theologis ibidem congregatis, publicè fassus est. Quæ verò hujus viri circa articulum de Persona Christi & cum primis de omnipræsentia humanæ ejus naturæ sententia, non modo postremis annis, sed etiam ante & circa illum & in illo conventu Augustano, fuerit, non opus est, ut multis probemus; cum id satis
lucus;

Iuculenter p̄estiterit primarius ille Jesuitarum scriptor Bel-
Jarminus. Videatur etiam D. Doct. Ægid. Hunnius in suo li-
bello de persona Christi circa finem sub tit. Sententia Con-
fess. August.

XXIV. Quia igitur Brentius hic fuit ex primariis Theo-
logis, qui anno 1530. in Comitiis Augustanis una cum Princi-
pibus protestantibus Imperatori Carolo V. Confessionem ex-
hibuerunt: Ergo extra omne dubium exhibuerunt eam in eo
sensu, in quo ipsi illam intelligebant & contra Cingulum, Sa-
cramentarios & Pontificios interpretabantur ac defendebant.
Quæ verò sententia Pontificiis ignota esse non poterat, cum
certamina Lutheri & ιμοψήφων contra Sacramentarios essent
publica, & de his ipsorum libri omnium versarentur mani-
bus, & ab omnibus legerentur.

XXV. Quia itaq; Pontifici Lutheranis nullam de illa con-
troversia tum litem moverunt, sed suum consensum ubique &
per omnia contestati sunt adeo, ut Johannes Cochleus palam di-
xerit: *De hoc articulo neg, in Confessione neg, in Apologia NULLA
EST DISCORDIA inter nos & illos: Ultimam & ceteri tales
essent, & nulla discussione opus foret.* Quod verò judicium noa-
tulit de literis & apicibus, sed de vero Lutherano sensu, brevi-
ter in Augustana Confessione comprehenso, fusius autem in
Lutheri & aliorum libris, homiliis ac disputationibus expli-
cato ac proposito. Neqne aliud sibi Protestantes persuadere
potuerunt: cum in Apologia scripserint: *Tertium articulum
probant adversarii.* Et anno 1537. in Articulis Scmalcaldicis
Theologi protestantes testantur, *de his articulis* (nempe de DEO
uno & trino, & de Filii DEI incarnatione) *nulla est inter eos &*
adversarios (pontificios intellige. Αλλοίωσις enim Zwinglii
jampridem à Luthero, tanquam larva Diaboli damnata erat)
controversia; cum illos utrinque confiteamur: *Quamobrem non est
neesse, ut pluribus jam de his agamus.*

XXVI. Eadem quoque conditio ac ratio fuit doctrinæ ac
confessionis nostræ de hoc articulo subsequentibus tempori-
bus usque ad annum 1555. publicatæ pacis Religionis. Nam,
ut demonstravimus, Dn. Lutherus ut in aliis, sic quoque in hoc

Religionis puncto usque ad ultimum vitæ halitum constans permanxit, ut liber de Conciliis, quem anno 39. edidit, satis clare ac manifeste docet, testanturq; verba, quæ antea ex quadam ejus Epistola allegavimus: post mortem vero Lutheri, quæ incidit in annum Christi 1546. multis scriptis publicè magno cum applauso totius Ecclesiae Lutheranæ editis, tam didacticis quām polemicis contra Sacramentarios (quippe quia tū adhuc soli hanc doctrinam impugnabant, & nulli ex Pontificiis fere illis adjungebant) eandem doctrinam (ut Bellarmini verbo utar) locupletavit: Proindeq; in Lutheranis Ecclesiis ipso anno pacis Religionis promulgatae publicè sine ullius contradictione sonuit, & una cum Augustana Confessione (quippe in qua contenta erat) sineulla limitatione privilegiis pacis Religionis comprehensa est.

XXVII. Demonstrent Jesuitæ dissensum ante annum 1562. Non possunt. Consensum nos sufficienter probavimus: & adhuc demonstrabimus pluribus. Quandoquidem hanc doctrinam ante Lutherum publicis suis scriptis proposuit Jacobus Faber Stapulensis: Ut id fatetur Bellarminus libro sacerdotali 3. de Incarn. c. i. sic scribens: *Autor hujus erroris videtur Jacobus Faber Stapulensis. Ita enim scribit in cap. 12. Epist. prior. ad Corinth. Corpus Christi, id est, assumta humanitas cœlum implet & terram: est enim ubi cuncti verbum Dei est, quia verbum caro factum est, quare verbum nusquam est sine carne. Et in cap. 14. Iohann. ita scribit: Cum Filius sit in Patre & in omnibus sanctis, qui sunt in cœlo & in terra, an etiam corporaliter sit? quidni? sed absq; modo, nisi dicas divino & incomprehensibili modo, qui non tam modus, quam non modus dici debet. Hunc (pergit Bellarminus) fecutus est in primis Lutherus.* Hactenus ille.

XXVIII. Ex quibus luce meridiana clarius apparet, quia veritate ac fronte Mandatum à Jesuitis adductum, & hic cum illo effutire audeant, de omnipræsenti gubernatione Christi hominis sive secundum humanam quoq; naturam, nullum in Augustana Confessione reperiri verbum, nullam fieri mentionem: Cum hujus doctrinæ fundamentum sat perspicuis & significantibus verbis in ea contineatur ac proponatur, uti demonstravimus.

XXIX.



XXIX. Sic falsissimum esse liquet, sensum Augustanae Confessionis & confessorum, exhibitorumq; in loco de persona Christi, & cum primis de Unione hypostatica & sessione ad dextram Dei, eum esse, quem mandatum illud sequitur ac defendit.

XXX. Tertio quoque ex hactenus demonstratis constat, omni carere veritatis fundamento, quod novi hi commonefactores Jesuitæ cogganniant, *nunquam in doctrina de omnipræsentia carnis Christi Pontificios cum Lutheranis consensisse*. Sanè, qni tacet, consentire videtur.

XXXI. Objicis sententiam illam Fabri Stapulensis dum refutatam & rejectam esse à Natali Beda, Doctore Theologo Parisiensi in suis annotationibus in Commentariis illius Stapulensis super Epistolas Beati Pauli, cum consensu Facultatis Theologicæ Parisiensis Coloniæ anno 1526. editis. Ut ergo hic longè ante Comitia Augustana, in quibus Confessio Lutheranorum Imperatori est exhibita, illam de omnipræsentia opinionem refutavit; sic quoq; eandem Bellarminus & cæteri hodiè Jesuitæ rejiciunt & damnant.

XXXII. Sit ita, Bellarminum & cæteros Jesuitas sequi vestigia Natalis Bedæ. Sed hic perperam intellexit Fabri Stapulensis sententiam: Ergo & Jesuitæ eodem modo nobis falsam affingunt opinionem. Beda sibi imaginatus est, statuere Stapulensem Localem & Physicam omnipræsentiam, quæ ita expansione corporis impletat loca omnia, ut Physico modo de loco in locū corpus Christi moveri amplius nō possit: Sic n. colligit Beda ille: *Sic corpore suo ubiq; est Christus: nec potuit ad infernū descendere, nec ascendere in cælum: quæ ei solum competebant ratione carnis assumta, qui enim ubiq; est, LOCALITER minimè potest moveri.* Et in præcedentibus, *Parvulus ergo fætus ille, statim conceptus ubiq; fuit.* Dicat itaq; Jacobus: *in profundo inferni existens tunc infantulus, rogos ne inextinguibiles sentiebat?* In mediis pelagi undis quomodo non continuò fuit obrutus? &c.

XXXIII. Verūm ejusmo di crassam & physicam expansivam præsentiam nunquam Fabro in mentem venisse, neque etiam quicquam de ea scripsisse, ejus explicatio satis perspicue-

docet, quando omnem modum, nobis cognitum, proindeque & physicum, de hac præsentia, expressè negat & removet, solum divinum, & incomprehensibilem concedens, quando in hanc sententiam scribit : *Cum Filius sit in Patre, & in omnibus Sanctis, qui sunt in cœlo & in terra : an etiam corporaliter sit? quidni?* sed absq; modo, nisi dicas divino & incomprehensibili modo : qui non tam modus, quam non modus dici debet. Et mirum, si id fides non dicere: cum videat simul in Iudea, Africa, & Europa, locis innumeris Filium Dei in corpore sacramentaliter esse. Quod autem dicitur sacramentaliter : modus est. Quomodo ergo si subtrahat modum, non videat ubiq; Filium Dei corporaliter, sed sine modo ac supra omnem modum esse? Ubi cung; sane Christus est : Christus incarnatus est. Incarnatus autem sine corpore non est. Et magna est fides, cognoscere Christum corporaliter esse ubi sacramentaliter est, sed major est, cognoscere eum absolute ubiq; corporaliter esse. Nam hoc est sine modo cognoscere : illud cum modo. Fides autem quæ est absq; modo, major est, quam quæ modum habet.

XXXIV. Si etiam Jesuitæ simpliciter probare velint hujus Bedæ refutationem, tum utique concedant & blasphemant, blasphemiam esse, si quis dicat λόγον simpliciter auctoratiter incarnatum esse, cum tantum respectu certi loci & ubi, incarnatus sit. Sic enim in eadem refutacione Beda. Ubi cung; inquit, Christus est (hoc fide pura confitemur) Christus incarnatus est : (Et hoc certatenemus fide) At quod inde colligit : Ubi cung; ergo Christus est, ibi incarnatus est : Hoc IUT BLASPHEMUM rejicimus.

XXXV. Quid autem est Christum solvere? Quid est orthodoxæ antiquitati contradicere, si hoc non est? Si enim blasphemum est, ut blasphemum esse judicat hic Beda, Ubi cung; Christus est, ibi incarnatus est; utique blasphemus erit Canon Chalcedonensis Concilii, quo alias (omnibus orthodoxis uno ore fatentibus) piè docetur, *duas in CHRISTO NATURAS IN UNAM SUBSISTENTIAM concurrere, ET INSEGREGABILITER ESSE CONJUNCTAS*. Quod sanè verum esse non posset, si λόγος in terra ab humana sua natura per locorum intervalla remotus, atq; sic naturæ in Christo locorum dialegmati alicubi à se invicè essent segregatae atq; sejunctæ.

36. Blas-



XXXVI. Blasphemum quoq; esset, quod scribit Damascenus lib.3. cap.4. *Naturas in Christo unitas esse ἀρχέπιτως, αὐτογένης, αὐτούτως, αὐτολογίτως, αὐταιρετώς οὐδὲ αὐταιστήτως.* Ubi cumpromis vox (*αὐταιστήτως INDISTANTER*) notetur. Quandoquidem ostendit, naturas in Christi persona tām arctē, & sic sibi mutuō præsentissime esse unitas, ut nullo locorum *Διαστάσεων* sive distantiis à se invicem absint, sed unitissimē sibi mutuō sint præsentes, & arctissimā præsentia indistanter unitæ; Quod, quomodo cum hujus Bedæ & Jesuitarum doctrina congruat, videre profecto neq; nos, neq; forsan alii possumus. Quare sat causæ Lutherus habuit sui vaticinii, quo prædixit: *In Papam futurum, ut Nestorianismus invalesceret.*

XXXVII. Quare cum Lutherus distinctius suam sententiam proponeret, demonstraretq;, Christum secundum humanam naturam sedere ad dextram Dei, proindeq; secundum eandem etiam omnia implere & dominari omnipræsenter & omnipotenter omnibus creaturis, atq; sic humanæ naturæ non quidem extra unionem personalem, neque in ipsa unione per se & ex se essentialiter, formaliter, habitualiter, subjectivè, ut scholastici locuti sunt, divinam majestatem, omnipotentiam, omniscientiam, & reliqua inesse & tribui debere (cum hoc pacto divina & humana natura, & utriusq; proprietates inter se commiserent & confunderent, & humana natura aut divinæ exæquaretur, aut prorsus aboleretur, quod dicere impium est) tribuitamen & communicari divina propria reverà ratione & dispensatione hypostaticæ unionis: Cum, inquam, Lutherus ita distinctè suam sententiam proponeret, & Pontificii exinde satis intelligerent, hanc Lutheri doctrinam in omnibus consentire cum iis, quæ de hoc mysterio olim Patres, ut Ambrosius, Hieronymus, Cyrillus, Chrysostomus, Paulus Episcopus Emissenus, Theophilacius, Oecumenius, Paschafius, Hugo Cardinalis, Bernhardus &c. statuerunt & docuerunt, utiq; nec hic Natalis Beda, licet infensus hostis Lutheri, nec Johannes Cochleus, qui eodem anno 1526. quingentos errores ex Lutheri scriptis collegit; hujus verò nemino quidem verbulo mentionem fecit, nec ullus aliud illorū,

qui



qui in Comitiis Augustanis præsentes fuerunt, vel etiam post Comitia Lutheri scripta legerunt, & illis sese opposuerunt; nullus, inquam, illorum Pontificiorum hanc partem doctrinæ Lutheri flagellandam suscepit, quin potius librum Confessionis Majoris, in quo hoc mysterium communicatæ Majestatis divinæ ex professo tractat, & contra Cinglianos disputat & defendit) maximopè commendarunt Papistæ tum temporis omnes, testimonium publicum Luthero perhibentes, quod erorem Zwinglii solidè confutarit: quemadmodum aperte scribit Lutherus anno 1534. in Epistola sua de privata Missa.

XXXVIII. Quid? quod ipse Bullingerus, non postremus è grege & sodalito Zwinglianorum in suis commentariis super acta Apostolorum aperte affirmat, Pontificios, hanc, de qua quæstio est, omnipræsentiam Christi secundum humanam naturam, approbare ac defendere, quando in explicazione capitï non iusta scribit: *At quod hinc (ex apparitione Christi ad Paulum facta) colligunt PONTIFICII: Ergo corpus Christi est ubiqꝫ, stultius est, quam quod responsionē mercatur.*

XXXIX. Calvinus quoqꝫ super Johannis cap. 20. Pontificiis tribuit, quod immensitatem corporis Christi doceant. Verba ejus sunt: *Minimè concedo, quod afferunt PAPISTÆ, Christi corpus penetrasse per januas clausas. Hoc ideo contendunt, ut corpus gloria sua non modo reddant simile spiritui; sed IMMENSUM esse, NULLO QUE LOCO CONTINERI obtineant.* Hactenus ille.

XL. Quibus rectè subjicit ac monet D. Aegid. Hunnius d.l. Etsi Bullingerus hanc salutarem doctrinam ridet impiè: Calvinus item omnipræsentiam per calumniam immensitatem nominat. (Cum tamen non per immensitatem substantiæ corporis adesse credatur Christus homo, sed ex vi unionis hypostaticæ, quatenus corpus Christi finitum ac dimensum manens ab assumente λόγῳ nullo in loco abesse statuitur) tamen ex verbis illorum propriogꝫ testimonio manifestè colligitur, quod ejus temporis Pontificii à nobis hac in parte religionis minimè diffenserunt.

LXI. Falsum itaqꝫ est. 1. Bellarmini commentum. Jacobum Fabrum fuisse autorem hujus de omnipræsentia carnis Christi doctrinæ: cum illius autor sit, ipse Spiritus Sanctus:

à quo



à quo etiam illam didicerunt ante hunc Stapulensem Hugo
Cardinalis de S. Victore, qui ait: *Corpus Christi hanc habet di-*
gnitatem ex natura unionis cum Divinitate, ut simul sit IN MULTIS
LOCIS. Item Oecumenius super verba ad Eph. 4. *Ascendit su-*
pra omnes cælos, ut impleret omnia. Et quidem *NUDA DIVINI-*
TATE OLIM OMNIA IMPLEBAT: Incarnatus autem descen-
dit & ascendit, ut *UNA CUM CARNE* (*μετὰ σαρκὸς*) *IMPLE-*
RET OMNIA. Cyrillus quoq; lib. 12 in Joh. In singulis partibi-
liter transiens unigenitus, & animam atq; corpus eorum *PER CAR-*
NEM SUAM sanctificans, impartibiliter atq; *INTEGRÆ IN*
OMNIBUS EST CVM UNVS VBIQUE SIT, NULLO MO-
DO DIVISVS. Sacram ergo Scripturam & hos, cæterosq; ante
allegatos Patres, Stapulensis secutus est.

XLII. Deinde & alterum illud crassissimum Bellarmini
figmentum est: *Hanc de omnipräsentia carnis Christi sententiam*
ac doctrinam privatum Stapulensis errorem esse; cum fuerit com-
munis & orthodoxa sententia in ipso quoq; Papatu & ab or-
thodoxis olim Patribus approbata.

XLIII. Tertiò etiam à veritate alienissimum est, *Lutherum*
errantem Stapulensem fuisse secutum; qui semper unicam sacram
scripturam suarum doctrinarum normam constituit: & Sta-
pulensis nondum erroris est convictus.

XLIV. Quartò: omnium crassissimum mendacium
est novorum nostrorum commonefactorum Jesuitarum,
quod prætendunt & sine fronte ac pudore effutunt, no-
tum esse in toto mundo, nunquam Romanam Ecclesiam doctrinam de
omnipräsentia approbasse, proindeq; Ecclesias nostras à Confessione
Augustana descriuisse: Cum contrarium toti mundo notum sit,
uti probavimus.

X L V. Verùm ut Jesuitæ hunc errorem à Calvinianis
sunt mutuati; sic quoq; hanc ipsam objectionem ab illis ac-
ceperunt. Sic enim dudum isti homines contra nos sunt ra-
tiocinati: *Augustana Confessio in tertio Articulo à Papistis fuit ap-*
probata: & nulla tūm fuit controversia Papatui in hoc Articulo cum
Lutheranis. At Jesuitæ nobiscum sentiunt in hoc articulo: Ergo Luthe-
rani oportet ab Augustana Confessione discesserint.

XLVI. Verum saepius ad has nugas à nostris est responsum, nempe conclusionem ex præmissis positis non inferri; sed potius hanc ipsam; *Ab hac doctrina ex alterutra parte secessionem esse factam.* Jam quæritur: utra? Nos à Lutheri & aliorum Theologorum, Augustanæ Confessionis autorum, doctrina, ne latum quidem unguem discessisse, res ipsa loquitur, & hactenus ad oculum est demonstratum. Jesuitarum verò colluvies inter Pontificios tandem prodiit, Calvinistarum exemplum secuta D. Lutheri sententiam de communicatione Idiomatum reali ac maiestate Christi hominis, ante à nullo Papistarum impugnatam, allatavit, & in hunc usq; diem hostiliter oppugnat, atq; eo ipso non tantum Augustanæ Confessioni addictis dicam scripserunt Jesuitæ, sed omnibus suis majoribus, qui tempore exhibitæ Confessionis vixerunt, contradixerunt, Ingelstadii Anno 1564. & sic integris triginta quatuor annis post exhibitam confessionem nostram de hac materia disputatione editâ, qualis in Papatu nunquam antehac erat visa.

XLVII. Hanc postmodum Anno 1571. Wittebergenses Calvinisantes recuderunt, cum Rectoris commendatione, ut formulam sanorum verborum ex ea studiosi discerent: Atque sic impletum fuit vaticinium Lutheri, quod paulo ante allegavimus; *In Papatu tandem futurum ut Nestorianismus invalesceret:* comprobatumq; est, quod idem Lutherus de Thomistis, hoc est Thomæ Aquinatis Discipulis & sectatoribus, (inter quos eminere volunt Lojolitæ) scripsit: plurimos inter eos latitare Nestorianos, Tom. 7. Jenens. lib. de Conciliis an. 1539. edito.

XLVIII. Hac ergo Pontificiorum autoritate & consensu freti Sacramentarii, eo tandem proterviæ descenderunt, ut Augustanam Confessionem (à qua in ipsis Comitiis se propria sua confessione manifeste segregaverant, nec ad eam vere & ex animo accesserant unquam) quasi nobis adversantem sine pudore objicere pergerent, & sub fraudulentia ~~ωροφήν~~ & schemate propriæ nostræ Confessionis falsa sua dogmata in scholas & Ecclesias introducerent, seque sub umbra Augustanæ Confessionis & pacis religionis recondenter, nos contra ab Augustana confessione discessisse, ac proinde sub pace Religionis non

non amplius contineri cum Pontificiis impudenti ore & clamarent & scriptitarent.

XLIX. Hoc (teste D. Salomone Gesnero disp. 1. de libro Concordiae c. 2. thes. 32.) cum pii quidam, orthodoxi, pacifi-
ei, & erudit Theologi animadverterent, facile conjecturam
facere potuerunt, impudentissimis adversariorum menda-
ciis, & falsis Ecclesiæ nostræ invadentibus fratribus & opini-
onibus melius occurri non posse, quam si articuli Religionis,
de quibus disceptatio incidisset, ex verbo Dei solidè declara-
rentur, & explicarentur, falsæ contrà opiniones refutarentur
& rejicerentur, veritas coelestis confessione quam plenissima
proponeretur. Hinc enim securum arbitrabantur, ut adver-
sariis si non tacendi necessitas imponeretur, calumniandi sal-
tem ansa eriperetur, & ut simpliciores Augustanæ Confessionis
veri socii disserent, quid de illis ipsis controversiis cum suis
autoribus & propugnatoribus sentire, illasq; fugere deberent.

L. Quare illi ipsi Theologi primum verbum Dei, deinde
symbola Ecclesiæ Catholicæ, tandemq; Augustanam Confes-
sionem unicè in conspectu habentes inter se de controversiis
Ecclesiæ diu multumq; & cum dictis normis contulerunt, atq;
ex illis rationem certam collegerunt, qua dissidia tolli, & or-
thodoxæ veritatis Confessio Augustana explicari ac retineri,
larvaq; fraudulenta adversariis detrahi posset, eamq; contro-
versiarum explicationem multo labore & industria in unum
volumen redegerunt, Principibus Augustanæ Confessioni ad-
dictis exhibuerunt, quæ ab illis non modò clementissimè ac-
cepta; sed etiam unanimi consensu approbata, diligenterque
deliberata, & ex illa tandem liber Christianæ Concordiae con-
fectus, & anno 1580. in lucem publicam emissus est.

L.I. Nunquam ergo vel Principibus vel Theologis illis in
mentem venire potuit, opere hoc novam & antehac incogni-
tam religiohis formam condere: sed istud duntaxat illis curæ
ac cordi erat, ut æterna divini verbi veritas, quæ in libris Pro-
phetarum & Apostolorum est revelata, tribus symbolis, Apo-
stolico, Nicæno, & Athanasiano, repetita, in Augustana Con-
fessione, ejusq; Apologia declarata, in articulis Scmalcaldicis

& utroq; Catechismo Lutheri ulterius explicata, ad posteritatem salva & integra propagaretur: atq; hoc ipso facto ostenderent, sese ab adversariis de mutata Augustana Confessione, tam quoad sensum, quam quoad verba injustè accusari, neque approbare, si qui temerarii privato arbitrio aliquid in illa immutare sint ausi, neq; aliter unquam Augustanam Confessionem intellexisse, quam juxta *τὸ πηγὴν* primæ editionis, menteq; ac sententiam primorum conditorum, Principum ac Theologorum, cum primis Lutheri, & ipsius in Evangelio symystorum atq; sociorum, Philippi Melanchthonis, Johannis Brentii, Justi Jonæ, Eberhardi Snepfii &c.

L III. Huic fini etiam Liber Concordiæ in quatuor velut partes tributa est. Primum enim præmittitur verum exemplar Augustanae Confessionis, quod ab ordinibus Imperii Imperatori Carolo V. Anno 1530. Augustæ in Comitiis exhibitum fuit, ex Archivis principum descriptum, & cū originali, ut vocant, diligenter ac fideliter collatum. Cui Apologia conjuncta est. Secundò ponuntur articuli, qui in Concilio Mantuano exhiberi debebant, & Smalcaldici nominantur, Tertiò adduntur Major & minor Chatechismus Lutheri: Quarto & ultimo orthodoxa explicatio illarum controversiarum, quæ nostras Ecclesias perturbarunt, annexatur.

L IIII. Nimirum illa partium serie simul docere voluerunt, veram Augustanae Confessionis sententiam duobus constare argumentis, nempe sacræ scripturæ *Διπλοῖς*, & deinde vera testimoniū non fallacium, & in primis D. Martini Lutheri *μαρτυρίᾳ* & *Διδόχῳ*: qua velut de manu in manum ejus explicatio nobis est tradita ac librorum monumentis ad omnem posteritatem transmissa, sicq; in librum Concordiæ inserta.

L IV. Atque sic satis demonstratum esse putamus, nihil novi in ullo articulo, ac proinde neq;ne in mysterio de Majestate Christi Formulam Concordiæ proponere, sed illud ipsum, quod breviter in Augustana Confessione est assertum; & in libris Lutheri, Brentii, & aliorum orthodoxorum Theologorum ante, & post illius exhibitionem fusius & distinctius traditum & explicatum, repetere: atque sic calumniam Jesuitarum in aprico

aprico esse: contrà verò certissimum, quod Formulæ Concordiæ promulgatione Protestantes denuo protestati sint, se à desertione aut mutatione Augustanae Confessionis, quæ Imperatori Carolo V. Augustæ Vindelicorum in comitiis exhibita est, tantum abesse, ut ejusdem repetitione & vera declaratione illam ipsam potius illustratam, confirmatam & ab omnibus sectis vindicatam, & posteritati seriò commendatam cupiant & allaborent.

L V. Cæterū ad errores, dissensiones, & certamina, quæ in Ecclesiis nostris inter nonnullos sunt orta, & mota, ac nobis à Jesuitis odiosè objiciuntur, indeq; sophisticè colligitur nostram Ecclesiam non esse veram & orthodoxam Ecclesiam; respondemus si promiscuè omnia certamina, dissensiones, erroresq; tollunt veritatem Ecclesiæ: sequitur, quod neq; Christi, neq; Apostolorū, neq; omnium prima, quæ tantum inter duos fuit Catholica, neq; unquam ulla fuerit vera Ecclesia.

L VI. Pura quidem debet esse Ecclesia: verum id de meta ac perfecta puritate hac in vita intelligi non potest. Cum enim tres in mundo viverent, Adamq; & Eva post lapsum in paradiſo ab ipso Deo de Evangelio edocti, Ecclesiæ sanctæ primitiæ existerent, Eva Cainum pro Messia habet, hoc est, pro eo, qui unus angularis est lapis fundamenti. Hæc sane si Lutherana fuisset, utique idolatriæ, quâ nudus homo pro Deo, & sic Pseudo Christus, constituatur, accusata, à Jesuitis ex Catholica Ecclesia proscripta fuisset. Verum per misericordem Dei benignitatem, quam Jesuitæ imitari nesciunt, in primitiva hac Ecclesia, quâm duo, ut diximus, catholicam efficiebant, error hic circa personam Messiæ obtainere potuit, Ecclesia non abolit. Christus quoq; discipulos suos fratres appellat, proindeq; veræ Ecclesiæ membra agnovit: qui verò erroribus sanè crassissimis non caruerunt: Regnum namq; Christi mundanū somniabant, & fovebant opinionem hanc usq; ad mortem Christi, qua interveniente spe suâ se frustratos opinabantur, ut viatores Emauntici communem Ecclesiæ istius temporis opinionem produnt, *Luc. 24. v. 21*. Et quod stupendum est, Petrus visibiliter Spiritu sancto perfusus, legis cultus necessarios &

vocationem incircumcisorum immundam imaginatur, *Acto*
10. v. 14. & 28. v. 34. Et quamvis etiam cælitus de errore mo-
nitus esset Petrus, omnem tamen non amisit, sicuti ad Gal. 2.
v. 11. & seqq. legimus, ipsum propterea reprehensum à Paulo:
cujus gravissia sententia hæc est, quod Petrus non incesserit recto
pede ad veritatem Evangelii, quia gentes coegerit Judaizare.

LVII. Quo & similibus exemplis, quæ ex historia Eccle-
siæ post tempora Apostolorum annotata attexi possent, mone-
mur, ne renatos quidem esse *avauæt̄t̄s*, sed ob ingenitam
originalem corruptionem variis infirmitatibus obnoxios, ex
quo porrò *ποδειληνως* infertur, fieri posse, ut vel sanctissimi
& ipsa Ecclesiæ cupita in errores incident, & in diversas par-
tes distrahanter.

LVIII. Quare licet interdum in Ecclesia quoque nostra
discrepantes foveantur sententiæ, controversiæ excitentur,
schismata oriantur, erroresq; committantur; non tamen id
satis caussæ est, qua à Jesuitis, & cum primis novis istis com-
monefactoribus vera Ecclesia negari queat.

LIX. Urgent autem hi præcipue controversiam de omni-
præsentia; superioribus annis inter Giessenses sive Marpur-
genses & Würtenbergenses Theologos motam & agitam, quando in sua commonefactione scribunt: Wil dieses orts ge-
schweigen / daß die Eutherische Ubiquitisten in Sachsen/ Hessen/
vnd Würtemberg heutigs Tages selbst vntereinander entzweyen vnd
zertrennen / deren jeder Theil den andern einer öffentlichen Rekerez
zeiget; Dann die Württembergische Theologen sprechen die Säxi-
schen vnd Hessischen seyn Nestorianer; die Sächsischen vnd Hessi-
schen sagen vnd schreiben unverholen / die Württembergischen seyn
mit dem verdampfen Irrthumb des Erzfeuers Marcionis behaf-
tet. So sind sie dann beydersehns / ihrem eigenem Urtheil nach / an
der Augspurgischen Confession brüchig / vnd ihres Schuzes un-
fähig worden.

LX. Quid de hoc discursu judicandum statuendumq; sit,
ex illis, quæ hactenus disputata sunt, quilibet facile colligit &
intelligit, nempe jure merito illis objici posse illud Christi,

Lucæ



Lucæ. 6. v. 41. *Quid aspicis festucam, que est in oculo fratribus tui, trahem autem, que in oculo proprio est, non animadvertis?* Quasi vero nullæ unquam dissensiones, rixæ & scandulosæ certamina fuerint in Ecclesia Pontificia. Nonne magna cum virulentia scripsit Ambrosius Catharinus Episcopus Minoviensis contra Dominicum Soto Segobiensem Theologum in certamine de certitudine gratiæ, uti hic in Apologia sua de ejus maledicentia multis queritur. Sic idem Catharinus contumelioso scripto inventus est in Bartholomæum Miranda, quod de residentia prælatorum, an sit de jure divino nec ne, diversum ab ipsius sententia statueret, ut illi idem Dominicus præfatione allegatae Apologiae exprobrat. Cajetanus & alii Veteres (quod fatentur Suarez & Salmeron) qui scripserunt ante Lombardum, statuerunt & docuerunt, *Mariam virginem matrem Domini esse in peccatis conceptam & natam*: Contra Jesuitæ omnes, & cum primis Bellarminus lib. 4. de amissione gmtiæ c. 15. 16. & lib. 2. de Monachis cap. 39. pronunciant, singulari Dei privilegio, beatam virginem Mariam ab omni omnino peccato fuisse immunem. Conferatur Concilium Basiliense sess. 36. & Tridentinum sess. 5.

LXI. Itò nullus ferè locus vel quæstio Theologica est, in qua non discrepantes Pontificii foveant opiniones, ut in his ipsis disputationibus cum Deo demonstraturi sumus.

LXII. Non etiam nobis planè ignota est virulenta illa controversia super auxiliis gratiæ & concursu liberi arbitrii, inter Jesuitas & Dominicanos mota, in qua injuriosè hi Jesuitas accusant Pelagianismi; Jesuitæ contrà Dominicanos Calvinianismi. Si ergo Wirtenbergenses & Hassiaci Theologi propter mutuas accusationes sint ex pace Religionis excludendi, ut judicant hi Jesuitæ: utiq; ob eandem rationem omnes Jesuitæ, & sic hi ipsi commonefactores, & Monachi Dominicani ex Ecclesia Romana proscribendi sunt.

LXIII. Ut autem Pontifex Romanus & Pontificia Ecclesia propter mutuas illas accusationes, neq; Jesuitas pro Calvinianis, neq; Dominicanos pro Pelagianis habet, sed illos accusationum excessus fervori disputationum, & affectibus mutuis, veletiam imprudentiæ adscribit: Sic neque Lutherana Eccle-



Ecclesia, dictos Theologos illis hæresibus addictos agnoscit. Uti etiam se mutuò directè non accusant; sed utrinq; ex hypothesibus datis ab absurdo disputant, quo Wirtenbergenses Hassiacos ad absurdum hæreseos Nestorii: Hassiaci verò Wirtenbergicos ad absurdum Marcionis per concessas utrinq; hypotheses deducere voluerunt. Quomodo autem potuissent id utrinq; attentare, si illa pars Nestorii, hæc verò Marcionis hæresi revera addicta esset. Quod enim quis pro vero habet & accipit, illi, tanquam absurdo, urgeri nequaquam potest. In deductione ergo ad absurdum is, qui ejusmodi Elencho utitur, nequaquam potest adversarium absurdum illius, ad quod illum deducere attentat, reum agere. Nam 1. Tum ipsi, ut diximus, non esset absurdum. 2 Fieri potest, ut quidem ex data hypothesis ejusmodi absurdum sequatur; is autem, qui hypothesis dedit, consequentiam non videat, proindeq; defendat quidem hypothesis, sed ab absurdo illo, per consequentiam illato, toto pectori (ut hoc loco) abhorreat, adeoq; ejusmodi absurdum & hæresin ex suis assertionibus inferri posse nullo modo sibi persuaderi patiatur. 3. Contingit quoq; interdum, ut qui ex contradicentis hypothesis disputat, sibi imaginetur, ejusmodi absurdum inde legitimè inferri; quod tamen nequaquam videtur hypothesis sequitur, sed committitur sæpius vitium syllogisticum, quod Aristoteles vocat $\mu\eta\pi\alpha\tau\gamma\pi$, vel similis Elenchus sophisticus. Ergo ab absurdo disputantes, nequaquam se mutuò absurdum illius directè ac verè accusant, aliàs cōmodo argumentandi uti non possent, ut probatum.

LXIV. Hæc perpendant Jesuitæ, & calumniari desinant, tandemq; quiescant, ac abstineant, istiusmodi calumniosis ac putidis mendaciis glaucomam objicere Magnatibus, atque Regum & Principum animos in nos innocentes accendere & inflammare. Jüstissimus D E U S, qui vindicem habet oculum, & omnia videt auditq; , inter nos & illos judex esto.

F I N I S.

99 A 6900

ULB Halle
002 622 092

3



SB

Rebro

VDT7






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	
Cyan	
Green	
Yellow	
Red	
Magenta	
White	
3/Color	
Black	



TATIO SEPTIMA
am Confessionem
continens
N ARTICULI III.
De
MUNICA-
IDIOMATUM
Genere,
Proposita
ademiâ wittebergensi,
Æ S I D E
ARTINI, SS. Th.
et Professore Publ.
PONDENTE
AMONIO, Destiddensi
vigio Saxone.
Auditorio Collegii veteris
iem 26. Octobr.
TE BERGÆ
ALOMONIS AVERBACH,
M DC XXVIII.